

A 231
5

Aufw. Sammelbd. 1. Bd.

Hist.

III. C. O.

ak

36

PETRI ZORNII

In Illustri Gymnasio Carolino Historiæ Sacræ,
Eloquentiæ & Græcæ Linguae Professoris

DE
SUMMO VETERUM EBRÆORUM PONTIFICE,
QUATÊNUS NASIR, SIVE SUPERINTEN
DENS DICITUR,
EPISTOLA VOTIVA

OMNIUM
IN GYMNASIO CAROLINO CIVIUM
PUBLICO NOMINE CONSIGNATA

AD
VIRUM PLURIMUM REVERENDUM
AMPLISSIMUMQUE

DN. JOANN. WILHELMUM
LÖPERUM,

HACTENUS S. S. THEOLOGIÆ ET LINGUÆ EBRÆÆ
PROFESSOREM, ITEMQUE ARCHIDIACONUM
AD D. MARIÆ,

NUPERRIME VERO AD SUPERINDENTIS
ET PASTORIS PRIMARIII IN ÆDE D. NICOLAI
MUNIA APUD SUNDENSES AUSPICATO OBEUNDA,
DIVINITUS VOCATUM.

SEDINI, Typis JOH. FRIDER. SPIEGELII, Reg. Regim. & Gymnasii Typogr



VIR PLURIMUM REVERENDE,
 AMPLISSIME, ATQUE DOCTISSIME,
 DIOECESEOS SUNDENSIS
 SUPERINTENDENS
 ET SPECTATISSIME ET VIGILANTISSIME.



ta Deus nos omnes amet, ita nobis idem omnia evenire jubeat, ut clarissimis documentis hodierno die intelligimus, *insignem quendam illustremque rerum Tuarum cum divina sorte, hoc est providentia, nexum esse, præfertim cum non humano consilio, sed divinitus Tibi novi honores apud Sundenses offerantur.* Quod si autem læti omnis esse censemus, sub auspiciis suscepti muneris, congratulantium vocibus honorari, eisque, tanquam signis erectis ab bene sperandum excitari, quid melius, quid felicius, quam auspicii causa *pro Tua Salute vota nuncupare*, & illis potissimum, quod petimus, a Deo, cui nimium dilectus es, impetrare

re? *Tenuis quidem sunt Musa nostræ, sed tamen pro officio, quod obeunt, & pro obsequio, quod debent, ad prædicandam Tuam felicitatem aliquid afferent. Quæ cum ita sint, benevolæ nostræ mentis in Te propensionem Favore Tuo remunerabis, & tum suscepta vota nostra, tumea, quæ adhuc de Nasiræis Veterum Ebræorum præfanda habemus, serena fronte perleges, secreta Tecum æstimatione pensitanda. Notio vocis Nasir in Codice Ebræo latius patet, quia vel Nasiræos certo quodam vivendi genere ex voto separatos quasi & distinctos, vel Nasiræos propter dignitatis, honorisque singularem dignitatem ab aliis segregandos suo ambitu complectitur. Mittimus illos Nasiræos ex voto separatim viventes, commemoramus nunc inprimis Nasiræos, quos in gente Ebraica, vel gratia, vel dignitas, vel bonor commendavit, sive in civilibus, sive in sacris rebus locum facile principem obtinerent. Quod ad viros in civili dignitate præ aliis conspicuos attinet, occurrit nobis Josephus, quem ipse Pater Jacobus 1) appellat inter fratres Nasiræum, hoc est virum dignitate supra fratres suos plurimum eminentem, uti nos docent SAMUEL BOCHARTEUS, 2) FRIDERICUS SPANHEMIUS 3) & CAMPEGIUS VITRINGA, 4) quamvis JOANNES LIGHTFOOTUS longius*

in

1) Geneleos XLIX. 26. collat. Deuteron. XXXIII. 16.

2) Hierozoici Parte II. libro V. cap VI. p. 660

3) Dubiorum Evangelicorum Parte II. Dubio XCIII. p. 619

4) Observationum Sacrarum libro VI. cap. XXI. §. II. p. 492. Ipse autem VITRINGÆ verba hic reperere haud pigeat: dicitur secretus a fratribus suis, quod ex divino consilio inter fratres suos esset eximius, quippe quem Deus elegerat, ut esset signum & prodigium, Persona singularis, animadversione digna,

in.

in diversum ire maluerit. 5) Et profecto *Josephus*, uti paulo post videbimus, *Aula Pharaonis summus Praefectus*, eo, quo diximus modo, *Nafir* vero solidoque nomine appellatus est, praefertim cum eadem vox Ebraica *Nafir* apud *Arabas* obtineat eandem notionem, & adhucdum apud *Persas* Minister ille Regis, in quo sunt omnia posita, potissimum *Nafir* tanquam honorificentissimo quodam nomine appelletur. Habemus hujus rei testes fide dignissimos CORNELIUM LE BRUN, 6) ENGELBERTUM KÄMPFERUM, 7) & quos primo loco laudare debebamus, JOANNEM CHARDINUM 8) itemque AUGUSTINUM CAL-

A 3

CAL-

in cuius vitae casibus & eventibus sic luderet Divina Providentia, ut Prudentes omnes observarent, esse hominem singularem, insignem, ad finem quandam peculiarem a Deo electum.

- 5) In Horis Hebraicis & Talmudicis ad Matthaei II. 13. existimat *Josephum Nafir* appellari, quia tanquam homo indignus a fratribus est *separatus*, & ab iisdem *spretus*, & *venditus*. Quamvis autem HERMANNUS WITSIUS in Dissertatione de Jesu Nazareno §. VII. p. 278. Meletematum Leidensium haud obscure LIGHTFOOTI sententiae subscribat, VITRINGA tamen l. c. tacito LIGHTFOOTI nomine, istiusmodi interpretationem rejicit, quia ejus sensus sit tenuis nimis & dilutus.
- 6) Dans les Voyages par la Moscovie, en Perse & aux Indes Orientales Tomo IV. p. 145.
- 7) In Amoenitatibus Exoticis Politico-Physico-Medicis, Fasciculo I. Relatione VI. de Primatibus Aulae Persicae Togatis, quibus in Regio Confessu locus est, p. 78. ita scribit: *Nafir* vox Arabice *Inspectorem* significat. Magister est & Oeconomus Aulae generalis. Gallice vocaveris *Grand Maître d'hotel*, Italianice *Major dome*.
- 8) Dans les Voyages en Perse & autres Lieux de l' Orient, Tomo

CALMETUM. 9) Adhuc *Josephum Nasiræum*, Virum maximæ dignitatis vidimus, ceterum apud Jeremiam 10) conspicimus itidem *Nasiræos*, *Proceres* ^{gentis, et signum de deo in illis} *Judicæ*, quos cum ante *Δλωον* Babylonicam summis honoribus functi florent, ita BOCHARTO interprete 11) divinus Vates describit: *ejus Nasiræi candoris quasi lumine nivem, & lac, & margaritas superabant. Satis de Nasiræis rerum civilium summam curam æque ac dignitatem sustinentibus, perveniamus necesse est ad summos Veterum Ebræorum Pontifices*, quos laudatus CALMETUS 12) propter præcipuam sacrorum curam dignitatemque a Mose *Nasiræos* appellari existi-

mo II. cap. V. p. 236. la première Charge du Royaume est celle de *Surintendant Général* de la maison du Roi, qu'on appelle *Nazir*, terme Arabe, venant de *Nesret*, qui signifie regard, vue, observation; ainsi *Nazir*, selon le sens du mot, signifie *surveillant*. C'est donc ce Ministre-là même que nous voyons appellé dans les anciens Auteurs qui ont écrit de la Perse, le *voyant du Roi*, & aussi les yeux du Roi toujours ouverts. En un mot, le *Nazir* est, pour ainsi dire, l'esprit qui anime tout ce grand corps de Domestiques & d'Officiers qui composent la maison du Roi.

- 9) Videatur paulo inferius nota 13. 10) In Threnis IV. 7.
 11) Hanc ipsam BOCHARTI interpretationem commendat inter nostrates JOANNES LUNDIUS ^{Reueningii} in *denen Alten Jüdischen Heiligthümern* libro III. cap. LIII numero III. p. 689.
 12) In Supplemento Commentarii sui in Leviticum p. 78. ad verba Levitici XXI. 12. L' Hébreu: *il est le Nasir; il a huil d' onction de son Dieu est sur lui.* Le Nasir, ou Nésir est le premier Officier de la Cour des Rois d' Orient. Le Grand Prêtre exerce cette charge dans la maison de son Dieu. Il est consacré à son service par la plus sacrée des onctions. Joseph étoit le *Nasir* de la maison de Pharaon.

existimat. Quod si enim *Josephus Nasir* inde dictus fuit quod summus esset aulæ Pharaonis Præfectus, 13) tanto luculentius *summus Pontifex* nominatus est *Nasir*, quia Præfectus domus Dei, Pontificali illa auctoritate præditus summam omnium Sacrorum curam inspectionemque habuit.

Atque intra hos fines stet nostra Oratio, quæ quorsum contendat, vel ex ipso argumento clarissime dilucet. Nimirum universa Pomerania Suecorum Virum Magnificum ac Summe Venerandum, Dominum D TIMOTHEUM LÜTKEMANNUM, Theologum in Academia Gryphica Primarium, Regii Judicii Ecclesiastici per Pomeraniam atque Rugiam Præsidentem, Ecclesiarum Superintendentem Generalem, & Academiæ Pro-Cancellarium Perpetuum, *loco Summi in tantis Muneribus Nasirai*, honorificentissime & colit & observat, inter Vota precesque, ut Deus huic *Summo Nasiræo* vitam vegetam & longævam largiatur. Sed & *Sundenfes* in Pomerania Te, Vir Plurimum Reverende JO. WILHELME LÖPERE tanquam *Eximium in Saceris suis Nasiræum* colunt honorantque, quod magnum utique

13) Audiamus hic CALMETUM in Supplemento Commentarii sui ad Deuteronomium p. 100. ad verba Deuteron. XXXIII. 16. dans la Cour des Rois d' Orient il y a un Officier nommé *Nasir*, ou *Nésir* qui est le premier Officier de la Couronne, le grand Oeconome du Roi, le *Surintendant de sa maison*, de ses domaines, de ses trésors Il a inspection sur tous les Officiers de la maison du Prince, sur sa table, sa garde, ses pensions. *Joseph* étoit donc le *Nésir* de la maison du Roi d' Egypte. Jacob son pere lui donne le même nom dans la Genèse XLIX. 26. & le *grand-Prière* est nommé le *Nésir* de la maison de Dieu, dans le Lévitique, Ch. XXI. 12.

que est & ad posteritatis memoriam transmittendum. Plausus enim *Sundensium* innumerabiles, publicæ voces, & gratulationes, communis omnium lætitia satis nobis testimonia sunt, quo quisque adfectu, qua singulari pietate, qua gratæ mentis significatione sit, cum *Sammus ille Nasiræus Pomeraniæ universæ* Dominus D. LÜTKEMANNUS Te tanquam eximium Sacrorum apud *Sundenses Nasiræum* auspiciatissimis ritibus initiisque sanctissimis inauguratum colaudet, commendetque. Tot igitur exultantium *Sundensium* sensus, uti ex mentis recessu se se proferunt, tot gestus miranda vi lætitiæ expressos, tantum votorum & gratulationis conventum atque lætissimum strépitem uti animis nostris complectimur, ita nos quoque memores illius *Tuæ festæ Solennitatis*, pro Tua Salute, *Venerande Sundensium Nasiræe*, vota conceptis verbis facimus, nuncupamus, & adfigimus in Dei æterna & paterna memoria, quæ nunquam obliviscitur benefacere, & dare, quæ petimus, & censum augere beneficiorum. *Io vota & preces! Io vota omnibus modis fructifera! Io preces perpetuo salutare!* O Vir nimium dilecte Deo! suffice felicitati Tuæ, & bonis, quæ cœlo debes, perpetuo lætare. *Deus fortunet Tibi novos illos Nasiræi apud Sundenses Honores, Deus fervet salutem Tuam, Deus augeat annos Tuos, Deus det Tibi animum Spiritu divino illuminatum, ejusdemque robore firmatum, ut sapienter regas Ecclesias Sundenses, quarum Inspectio Tibi divinitus demandata est. Quid multa? Sis semper Idem qui fuisti, qui nunc es, quia melior & felicior esse non potes.* SEDINI POMERANORUM A. O. R. *MDCCCXXXVIII.* VI. Calendarum Octobris.





AB: 153 137

ULB Halle 3
003 898 784




VD 18


56.

R

WAT







ak

PETRI ZORNII

36

In Illustri Gymnasio Carolino Historiæ Sacræ,
Eloquentiæ & Græcæ Linguae Professoris

DE
SUMMO VETERUM EBRÆORUM PONTIFICE,
QUATENUS NASIR, SIVE SUPERINTEN
DENS DICITUR,
EPISTOLA VOTIVA

OMNIUM
IN GYMNASIO CAROLINO CIVIUM
PUBLICO NOMINE CONSIGNATA

AD
VIRUM PLURIMUM REVERENDUM
AMPLISSIMUMQUE
DN. JOANN. WILHELMUM
LÖPERUM,

HACTENUS S. S. THEOLOGIÆ ET LINGUÆ EBRÆÆ
PROFESSOREM, ITEMQUE ARCHIDIACONUM
AD D. MARIÆ,

NUPERRIME VERO AD SUPERINDENTI
ET PASTORIS PRIMARIUM IN ÆDE D. NICOLAI
MUNIA APUD SUNDENSES AUSPICATO OBEUNDA,
DIVINITUS VOCATUM,

SEDINI, Typis JOH. FRIDER. SPIEGELII, Reg. Regim. & Gymnasii Typog.